

ΙΧΘΥΣ.

13

De
ANALOGIA
TERMINORUM
SACRA

DISSERTATIONEM,

Suffragio Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ in Regia Acad.
Aboënsi,

SUB PRÆSIDIO

Adm. Rever. & Præcl. Domini
Mag. JOHANNIS

HAARTMAN

Phil. Theor. Prof. Reg. & ordin.
h, t. Decani Spectabilis,

Publicæ bonorum censuræ modestæ
submitit

ESAIAS ES. FELLMAN.
O. Botn.

Horis locoque solitis
die XII Octob. MDCCXXVIII.

ABOÆ, Impr. Eric Flodström,

АДОЛЯН

editions 2 and 3, p.

WILHELM H. BAUER

2010 RELEASE UNDER E.O. 14176

卷之三

§. I.

Brevi Philosophiae prime commendatione viam ad presens pandit argumentum.

§. II.

Inquisitis analogie natalibus, varias ejus divisiones enumerat.

§. III.

Post demonstratas analogorum diversas acceptiones, distinctionem inter illa & communia ab uno ad unum conciliat.

§. IV.

Voces singulas, quibus inscribitur dissertatione, significatiui illorum competenti collocat.

§. V.

In existentiam rei tractande justam inquirit.

§. VI.

Illorum, qui terminos philosophiae e Theologia eliminatos volunt, sententiam examinat.

§. VII.

Alios contra in excessu peccantes cum suis erroribus recitat.

§. VIII.

Forum, qui media procedunt via, iudicium amplectitur.

§. IX.

Occasionem & causas applicationis profert, & variis testimonio argumentisque probat.

§. X.

Omnibus in genere terminis ad Theologiam applicatis analogiam inesse, ex diversitate & subordinatione principiorum utriusque evincit.

§. XI.

Usum illorum non, proprie loquendo, auxiliarem seu instrumentalem esse docet.

§. XII.

Certo tamen respectu locutionem illam tolerari posse concedit.

§. XIII.

Exemplis causarum ipsum analogiae nervum demonstrat.

§. XIV.

Aliis varii generis exemplis argumentum illustrat.

§. XV.

Finem tractationi imponit.

§. I. U

§. I.

It homini Divina sapientia & bonitas, inestimabile munus, rationem indidit ; eamque inexplebili rerum sciendarum instruxit desiderio ; ne bestiarum instar proculcare Numinis beneficium & profanum ducere , quod sanctissimæ manus Dei donum est , mortaliū tæterrīmus deberet & ingratissimus. Sic magna illi certe dignitas est, ea scrutari, ea scire, quæ in naturalium corporum, cœli terræque, & animalium & hominis ipsius, consideratione nobis repræsentat disciplina. At quo hæc propiora sunt sensibus, eo

minus a conditione , quæ homini
cum brutis communis est rece-
dunt. Qvo vero sublimius cor-
poreæ molis materiam ascendit
intellectus, quo altius in universa-
lium & abstractorum fertur anim-
adversionem, quo μεταφυσικά: est,
ut ita loquar; hoc, quæ ho-
mine, ut homo est, digniora facit;
hoc se magis corporis quasi vin-
culis exsolvit , & in animæ pro-
prietatem convertitur; hoc deni-
que Dei , Divinarumque rerum
contemplationi propiori accedit
affinitate. Quanto igitur dignitas
est major, tam dignam homine ,
tam propinquam Deo, tam in se
absolutam mentis humanæ con-
templari scientiam a) Eo vero
magis , quod hæc transnatura-
lis supernaturalem arctissima
excipit conjunctione , manum
illi porrigens gratissimam. In-
primis quod intellectum sacratis-
simis hujus mysteriis ornandum,

ab

ab ea caligine, quæ homini cum
brutis intercedit, liberat; inque
eum deportat statum, qui natu-
rali desiderio, a Deo illi inplan-
tato, conveniens est. Hujus igitur
Philosophiæ primæ cum The-
ologia harmoniam in mutuandis
terminis, analogicam, quantum
in scriptis eruditorum per tempo-
ris & ingenii angustiam observa-
re mihi licuit, investigare animus
est. Tuum igitur erit, C. L. de
innoxiis nostris conatibus judi-
cium ferre; quod eo mitius nos
impetratos animo & spe confi-
dimus, quo magis argumentum
hoc nostrum, diversis clarissimo-
rum virorum sententiis nobilita-
tum esse deprehenditur.

a) *Conf. Fecht. Noct. Christ. p. m. 68.*

- §. II.

Antequam falcem nostram in u-
berrimam hanc immittamus messem,

notionum, quæ tituli vicem in fronte hujus operæ gerunt, ordo disputationibus receptus, legis prope vim dudum consecutus, evitandæ obscuritatis ergo, paucis habere rationem jubet. *Analogie* vocabulum, quod Græcis origine debetur, latina jam olim civitate donatum, omnibus in aprico est. Fuit enim primus, ut putat Valent. Velthemi, b) inter scholasticos, qui de analogis variorum generum scripsérunt, Thomas de Aquino; qui pro auctore philosophiæ Scholastice a quibusdam venditari solet. c) Hæc vero vox analogiæ audit latine proportio; quæ est similitudo rationum, seu convenientia plurium cum pluribus in eadem habitudine vel relatione. d) Estque hæc proportio communiter Mathematicis duplex, Geometrica, & Arithmetica. Paulo vero aliter explicant analogiam Logicorum plurimi; quæ ipsis nihil est aliud, quam inæqualis nominis alicuius participatio; quamque in analoga proportionis & attributionis plerumque solent divide-

re. Illæ sunt , quæ secundum unum & commune nomen habent rationes formales inter se diversas ; proportione tamen quadam inter se similes : cuiusmodi analogia in Metaphoris conspicitur. Sic, e. g. *fundamenti nomine*, *principalis ædificii pars* , cui tota moles super ædificata incumbit ; & Christus *fundamentum Ecclesiæ* : *Mensuræ*, item, *nomine*, & id, quod partem de integro cumulo decisam continet ; seu, quod *quantitatem alius rei physicam repræsentat* : e) & *χαρισμάτων*, seu *donorum Spiritus S.* diversæ portiones, quæ credentibus obveniunt ; exprimuntur. f) *Hæc vero sunt vel attributionis intrinseca* , quæ secundum unum & commune nomen, easdem habent rationes formales ; sed inæquali modo. Sic, v. g. *Creator* & *creatura entis* rationes, h. e. *essentiam* & *existentiā*, habent easdem ; modo tamen inæquali : *ille κατὰ πρώτον*, excellentiori & perfectiori ; *hæc κατὰ τέλος*, & imperfectiori modo. Vel *attributionis extrinsecae* ; quando uni

tantum rationes formales intrinsece,
reliquis autem analogatis per extrin-
secam duntaxat denominationem
competunt. Seu clarius : quando
forma denominans de uno analogo-
to prædicatur proprie, de reliquis
vero improprie & tropice. Sic, e. c.
sanum prædicatur & de homine, &
cibo, & medicamento, & pulso, &c.
de homine, ut subjecto, quod forma-
liter, proprie & intrinsece habeat sa-
nitatem : de ceteris vero extrinsece,
improprie seu tropice ; de medica-
mento enim, ut cauſa efficiente, de
cibo, ut conservante, de pulsu, ut in-
dicante, sanitatis.

- b) *Instit. Metaph.* p. m. 444.
- c) *Conf. Buddei Philos. instrum. C.S. §.5.*
- d) *Rötenb. Log.* §. 91.
- e) *Æpin. Phil. part. II. p. m. 88.*
- f) *Conf. Glass. Rethor. S. L. I. tract. I.*
Cap. 12.

§. III.

Allatas analogorum tam varias
divisiones, variæ eorum acceptiones
ul-

ultra sequuntur. Solet enim a Logicis vel *late* vel *strictè* accipi hoc analogorum nomen: late præter proportionis etiam attributionis, tam intrinsecæ, quam extrinsecæ, analoga; ex mente scholasticorum seu latinorum Aristotelis interpretum: strictè vero non nisi proportionis tantum, secundum Aristotelicos γρήγορίους, complectitur. Quod vero *Sco-*
smi omnesq; ejus sectatores, negent dari medium inter univoca & æquivoca, h. e. Analogia; exinde est, quia utraque tam ναχελῶς ab illis sumuntur, ut, quæ ad Analogia tanquam genus intermedium pertinent, partim sub æquivoca, p. sub univoca, comprehendant. Quibus autem presse & in rigore acceptis, Analogia, utpote medium quid inter utraque, necesse est, elicantur. Hæc vero analogia scholasticis sic dicta, Aristoteli τα ἀφ' εἰδώς προς ἔτι, ejusque interpretibus communia ab uno ad unum, nuncupantur: quæ ipsis non sunt unius ejusdemque rationis, sed secundum Aristotelem ad tres reducunt

cuntur classes: alia ipsis proprius accedunt ad naturam univorum, æquivorum alia, alia denique media sunt inter utraque: g) quorum illæ cum attributionis intrinsecæ, istæ proportionis, hæc extrinsecæ attributionis analogis, conveniunt. Quæcunque igitur tam circa medium, inter univoca & æquivoca, genus, quam analoga & communia ab uno vel ad unum, inter tot logicorum sectas vigent contentiones, in meram *διογουαχιαν*, salva manente re ipsa fere utrinque, desinere jure putantur. b)

g) Beckm. *Instit. Log.* p. m. 84.

b) Rötenb. *Log.* . 91.

§. IV.

Missa prolixiori tam intricatarum ac spinosarum subtilitatum indagine, genuinum ipsius vocis instituto sensum vindicamus. Ultramque scil. tam proportionis, quam attributionis & intrinsecæ & extrinsecæ analogorum acceptationem in Theologia frequen-
tissi-

tissimam esse statuendo : quod infra exemplorum allegatione clarius evadet. Quod porro per vocem *terminorum* in frontispicio, non principia & canones, nec integras propositiones ; sed terminos duntaxat simplices , seu incomplexos philosophiae primæ: item, per vocem, *sacra*, non tam Biblicos, quam Ecclesiasticos & in Theologia receptos indigitari terminos, ultro ex ipsa tractatione, nemini, nisi qui in Musis plane hospes fuerit, non constare potest.

§. V.

Θνουαλογίας sic leviter delibatam recta excipiet πραγματολογία : ubi ante omnia sistit sese nobis analogiæ hujus sacræ existentia attendenda: de qua percontari rei alicujus omnium oculis expositæ , absurdum quidem videtur. Paradoxum igitur, ne gravius quid dicam, censembitur , de eo : *num vere existat sacra hujusmodi terminorum analogia ?* serua disquisitione agere ; Systematum

nim Theologicorum innumera jam
habetur copia, quorum insuper nu-
merus magis in dies augescit; quo-
rumque singulæ pagellæ, imo lineæ,
ut de rebus nil dicam, tot terminis,
passim referta conspicuntur: adeo
ut copia magis, quam defectu eo-
rundem laboremus. Sed quæstio non
est *de facto*, ut dici solet; verum *ju-
re*: num scil. jure existat ea termi-
norum analogia, quæ sacris & divi-
nis est adaptata rebus? Quemadmo-
dum vero in omnibus scientiis nihil
fere est, de quo non variis & sæpe
adversa inter se fronte pugnantibus
sententiis, inter eruditos fuerit con-
certatum; ita de genuino termino-
rum philosophiæ usu, non una fuit
semper & constans doctorum opi-
nio.

§. VI.

Dependet igitur quæstionis deci-
sio a justo sententiarum examine;
quarum tres reperiri principes, hoc
est, duæ extremæ & altera media,
omni-

omnibus in proposito est. Fuerunt
& sunt, qui tam in *Επερφα*, quam
in *ὑπεροχη*, illi, minimum, *bi* nimi-
um philosophiae tribuentes, de re-
gia deflectunt via. Sed neque *illi*
eiusdem ætatis, huic primæ scientiæ
terminis justam detraudentes laudem,
fuere. Ut nihil heic curemus Quac-
keros, qui scholæ terminos omnes
aversantur, rident, damnant. i) Nec
adeo Remonstrantes, seu alio nomi-
ne, Arminianos; qui in præf. Actor.
& Icript. Synod. p. ult. Terminos, scri-
bunt, *omnes Scholasticos, Metaphysicos*
& *Philosophicos*, quantum possumus,
evitamus; scil. in seria & accurata di-
sputatione k) sed inexpertus quidem
nostræ ævi dissensionum sit oportet,
qui, quanta contentio in ipsa etiam
ecclesia de philosophia, ejusque ter-
minorum ad Theologiam applicatio-
ne, hodie vexata fuerit, ignorat.
Hæc enim lis adeo fere invaluit, ut
non terminos modo, modosque lo-
quendi philosophicos; sed ipsam quo-
que philosophiam, Metaphysicam
intelligunt & Logicam, a studio
Theo-

Theologico, ecclesiæque pomœriis exterminanda quam plurimi judicent. *l)* Quippe qui Aristotelicæ, cum primis philosophiæ (cui Platonicam, utpote entusiasmo magis faventem plus justo præferunt) tanta longo seculorum ordine ad hunc usque diem receptæ scientiam & conjunctionem, Theologicam inquinare meditationem, & rerum sacrarum fœdare simplicitatem, arbitrantur. Imo quod magis, omnium rixarum & jurgiorum, omnium hærisium & scandalorum in Ecclesia ad hoc usque tempus excogitatorum, eidem imputantes culpam, occasionem illis præbendo, queruntur. *m)* Quibus vero rationibus suffulti errores hujusmodi offensione plenos propalare sustinuerint, nostrum non erit heic repetere; quum hæc res utpote ad aliud spectans hæmisphærium, jam dudum a sanioribus Theologis, non detecta modo, verum solida quoque ac justa

refutatione examinata passim in scriptis illorum reperiatur.

i) *Conf. Stockm. Lex. p. m. 750.*

k) *Conf. Danb. Dial. S. p. m. 51.*

l) *Schelv. Syn. Contr. Art. 31.*

m) *Conf. Fecht. Syllog. disp. I. §. XI.*

§. VII.

Quemadmodum homini, rationi nimium tribuenti, vel potius ea abutenti, modum in rebus sibirnet subjectis tenere difficile est; ita nec heic effrenatae rationis ductum secuti, defuerunt unquam in excessu peccantes. Ut nihil dicamus de antiquioribus illis hæreticis, Calvinianis, seu novo nomine, reformatis; nec non Socinianis: qui *philosophia decempeda*, ut utar trito Scaligeri, immensos *religionis nostræ agros metiri* præsumunt; dum philosophiæ, quæ ministrare deberet, dominium in ipsam sublimissimam sapientiam Theologicam concedunt: quo rationi vel normæ, vel principii Theologici dignitatem totidem verbis adscribere

re haud verentur. Nec quicquam at-
tinet refricare Somnia Barth. Kec-
kermannii, qui non semel sustinuit
*randens ferrum non forcipe, sed digitis
contrectare*, h.e. interprete Chryso-
stomo: *mysteria divina ex philosophia
djudicare*. Hinc philosophiam
in nobis accendere amorem, cultum,
invocationem Dei: per Logicam &
Metaphysicam lucem Spiritus Sancti
accendi, docet: *Sacro Sanctae Trini-
tatis mysterium ex ratione & natura
ista probat, ut ei vim irrefragabilem
adscribat*. Tantum abest, ut ordinis
& paedie causa duntaxat hoc dispu-
tandi genus premitat; quo pacto a
nonnullis suorum, eosq; inter a Videlio, n) perperam certe & prater-
mentem propriam excusetur. o) Ne-
que hic moramus Græcos, qui ho-
dienum in Muscovia aliisque versus
orientem sitis regionibus, versantur:
hi enim etiam Theologiam Schola-
sticam speciatim sic dictam, & im-
primis Thomæ Aquinatis opera, ma-
joris quam par est faciunt. p) Sed

præcipue nostro ævo hoc errore la-
borant illi novaturientium, qui So-
cinianis clanculum patrocinantes
philosophiæ studia non possunt non
unice commendare ; summum &
interpretandi scripturas & contro-
versias decidendi judicium illis ad-
struendo. Huc jure optimo alios in-
ter omnes ejusdem farinæ, Auctor
libri ; (an is Benedictus *Spinoza*, an
Christ. *Sandius*, an denique *Ludovicus
Mejerus*, Medicus Amstælodamensis ;
ut putat Buddeus, q) perinde fuerit)
cui titulus : *Philosophia Scripturae in-
terpres*, erit omnino referendus. Ab
hoc ne gyrum quidem discedere vi-
detur Henr. *Hulsius*, qui Theologi-
am philosophiæ potius famulari,
quam hanc illi, adserere non ve-
retur. r)

n) *Conf. Possev. Metaph. p. m. 19.*

o) *Fecht. Noct. Chr. p. m. 20.*

p) *Conf. Stockm. Lex. heres. p. 388.*

q) *Theol. Dogm. p. m. 138.*

r) *Conf. Fecht. Syll. p. m. 24, 25,*

§. VIII.

Verum quum hæc quoque non minus ac illa illorum fallacia, quam omni prorsus obtrudere conantur arte, masculine sit dudum & reiecta & refutata: non erit difficile, ut ut in tanto sententiarum divertio, rediam utpote tutissimam amplecti sententiam: in qua loco aliorum omnium sapientissime jam a nobis citati, Theologi incomparabilis & probatissimi D. Fechtii judicio adquiescimus: *manendum, inquit, utique in communi sententia est, hactenus Theologorum omnium consensu defensa, philosophiam inter adminicula & presidia ad rectius comprehendendum Theologiae studium merito numerari, adeoque Theologiae præmittendam esse.*

¶] Communem hanc sententiam clarissime expressisse mihi quoq; videtur Possewiz: *disciplinarum, ita enim ille, philosophicarum sobria cognitio futuro accurato Theologo, tum ratione præparationis, tum ratione ipsius perceptionis & defensionis locorum Theologico-*

gicorum non utilis modo verum etiam
necessaria est: inutilis autem fit si so-
bria esse desinit, i. e. si Theologiae non
ubiciatur, sed præficiatur. t)

s) *Syllog. Lect. p. m. 25.*

t) *Metaph. Theol. p. m. 609.*

§. IX.

Quod vero non nisi gravissimis
causis hanc terminorum applica-
tionem in Theologiam introduxit
christiana Ecclesia, omnibus est no-
tissimum. Hostes enim veritatis cum
illa idem quidem loquebantur, sed non
idem sentiebant, testante Iræneo. u)
Hinc ad hujusmodi adversariorum
magis magisque in dies exsurgentium
detegendum fucum administricula &
præfidia philosophiæ, non quidem
ad probandam fidem doctrinæ cœlestis,
sed ad declarandam & manifestandam,
adhibere coacta est. Militi enim, dicit
D. Danhaverus, hostem -iv σύνοιχον
απειδ. aggressuro, necessaria sunt ar-
ma, sed & utilia armorum organiza-

ense opus, sed & capulo quo ensim se-
cure tenas, & arte athletica, ut re-
ete tractes: telis opus, sed & arcu,
nervo, sagula, excusorio unde telum
fortissime evibres, &c. Adde phrases
militares quos totus exercitus utring
armoscatur. Ita armatura sacra, orga-
na certa requirit artis, rationis, lin-
gue, quibus expers non felicius di-
spiceret, quam avis volet sine alio. x)
Hinc genuinus Philosophiae usus ab-
unde constare cuilibet potest; quod
vis ejus non sit probativa, aut verita-
tis effectiva, sed manifestativa solum
evidentiae & connexionis: ut acute
illud observavit Thomas, citante Dan-
havero: *utitur, inquit, Sacra doctri-
na etiam ratione humana, non quidem
ad probandam fidem, quia per hoc tol-
leratur meritum fidei, sed ad mani-
festandam aliqua, que traduntur in
haec doctrina.* y) Hanc vero Scriptu-
ræ S. dignitatem divinam, nec non
philosophiae sobrium usum præ aliis
omnibus vindicasse, justisque distin-
sive limitibus, videtur Clemens Ale-

xandz. cuius aurea fere in hanc rem
verba apud Danhav. adscribere non
pudet: *Equidem perfecta per se est,*
& nullius indiga salvatoris doctrina,
cum sit Dei virtus & sapientia, arce-
dens autem Graeca philosophia (Aristo-
telis puta) non veritatem facit poten-
tiorum. sed debilem adversus eam ef-
ficit sophisticam argumentationem, &
quia propulsat dolosus adversus veri-
tatem insidias, dicta est vinea, apta
sepes & vallum ne veritas conculetur.

2) Quis igitur ex his non jam videt,
quid ad hæc Novatorum piscateria
faciat simplicitas, dum armis quasi
militaribus hostes ex latebris extra-
here, propriisque armis jugulare te-
nemur. Hinc Theologiæ nostratis
talis hodie facies & conditio, ut sine
Metaphysica, remotis tamen schola-
sticis nugis, inutilibusque subtilitati-
bus, feliciter satis tractari nequeat:
ad eo ut jure valeat D. Fechtii censo-
ria illa virgula: *Implicat Theologum*
esse, & non esse Metaphysicum. a)

a) Conf. Hollaz. Exam. part. I. p. m.

311. x) *Dial. Sacr. D. m. 24.*
 y) *Ibid. p. 41.* z) *ibid. p. m. 25.*
 a) *Noct. Christ. p. m. 81.*

§. X.

Inter hæc sacrorum armorum organa, quibus militem sacrum *necessitate* quadam *expedientia* oportet esse instructum, sunt quoque termini philosophiæ primæ; quos nostrum *in primis* institutum sistit nobis considerandos. Hi vero omnes quotquot sint, quod non nisi per *analogiam* quandam sacris adplicari debeant, nobis in *fundamentum* inquirere assertio-
nis incumbit. Et ut ut philosophia cum Theologia natales habeat com-
munes; *hæc* tamen rationis sphæ-
ram superat, & revelationem pro-
cognoscendi agnoscit principio: *illa*
vero rationis principiis nititur, ex
quibus ceu fundamentis, objecta hu-
jus scientiæ exsurgunt. Talis quum
& subordinatio & diversitas sit prin-
cipiorum utriusque (quod tamen in-
ter

ter disciplinas ipsas, earumque veritatem nullam parere pugnam potest & contrarietatem) philosophiae igitur terminis tanquam per *μετάβασιν* quandam ex nativo *domesticoque* tam principio quam objecto, ad aliud superius principium objectumque applicatis, nativum etiam rigorem ac proprietatem, nec non imperfectiones sibimet connatas, in analogiam quandam commutando, exuant, necesse est. Ult autem propositiones Theologicæ non omnes sunt ejusdem generis & conditionis; sunt enim aliæ, quæ ex sola revelatione; aliæ, quæ ex ratione simul deducuntur; & hæ, quum non nisi *παχυλῶς* Iquendo Theologicæ vocari possint, ad naturalem potius quam revelatam erunt referendæ Theologiam: ita analogiam hanc in illis duntaxat universalem esse, statuendum.

§. XI.

In certo autem constituendo modo, quo analogiam hanc philosophia Theos-

Theologiæ impertit, non una & constans fuit doctorum omnium temporum assertio. Plurimi tamen in eo ex antiquioribus in primis adquiescunt; *Theologiam*, antiqua comparatione *Ambrosii*, vocando *dominam*, *philosophiam vero ancillam*: vel *philosophiam*, cum *Megalandro nostro, asine, Theologiam Christo asinæ insidenti*: vel *banc*, cum *Pbilone, Sara, illam Hagari*; comparando. Hoc est: usum philosophiæ in Theologia esse servilem, *ancillarem*, seu *organicum & instrumentalem*. Verum Metaphysica realis quum sit disciplina; quippe quæ proprium suum habet objectum, in fine suo adquiescit, nec sua natura ulterius tendit, aut servire aliis desiderat: tantum abest ut illam e numero reAlium disciplinarum, vel, quod eo absurdius, quoad partem generalem, extantem. & in instrumentalium & Lexicorum ordinem redigamus. Tale vero patrum aliorumq; loquendi genus, εὐτελεῖον vel populare, non εὐσανατικὸν vel accuratum, atq; ab ἀρχιβαῖος Κιλσοφῆν re-

remotum pronunciari. Falsum igitur est, suffragante D. Fechtio, quod Metaphysica usus, proprie loquendo, organicus sit aut instrumentalis, ad eum modum, quo vel Grammatica vel Logica (imo etiam Rhetorica) instrumentum & organum est aliarum scientiarum, & in quantum instrumentale principali, organicum reali opponitur. Falsum quoque est, Theologiam dominam esse, Metaphysicam famulam & ancillam, si hi termini proprie & in rigore capiantur, in quem relativa oppositio eosdem deposit. Neque enim Metaphysica officium in eo consistit, ut Theologie serviat, quemadmodum ancillæ debitum est, ut unice intenta sit, voluntatem exseque domine suæ. b) Ut autem disciplinarum omnium Theoreticarum in universum finis & usus est vel internus & essentialis, seu operis, qui est contemplatio rerum, de quibus talis agit disciplina, quæque intellectum sciendi desiderio imbutum, perficit: vel externus & accidentalis, seu operari-

ris, qui alias disciplinas non nisi pro arbitrio. utentis respicit: ita non priorem, sed posteriorem Metaphysicæ in Theologia usur, eamque non tamen servilem, nec herilem, sed abstractum ab utroque, ut amicus amico, par pari; nec ut servus, nec ut dominus, sed pro lubitu mutua præstant officia & ministeria, cum D. Danhavero, statuere non dubitamus: qui, ex quo liquet, differit, quantus philosophiæ (*realis non instrumentalis*) in superioribus facultatibus usus est, cum totum per accidens; sicut cultro, et si per se natus sit cibis secundis, per accidens uti licet etiam ad ligna secunda. Nam si quis philosophiæ per se usus esset in superioribus facultatibus, is vel esset *genitor* vel *dominus*, herilis vel servilis. Non ille, quia is respugnat dignitati illarum scientiarum superiorum; non hic, quia id obstat dignitati philosophiæ, que libera est, nulli serviens, ut præclare testatur *Philosophus, L. Metaph. c)*

b) *Noct. Christ. p. m. 29.* c) *Idea boni diff. Sect. II. C. IV. §. 24.* Hac

§. XII.

Hac autem re penitus inspecta, nihil obstat, quo minus Metaphysica Theologiae ancilla, idque duplice potissimum ratione, vocari possit. Collato enim utriusq; *objeto*; Theologiae omnium nobilissimum, Deum & mysteria salutis, in verbo clarissime nobis representata, esse constat; qua re nihil sublimius & excellentius in omni rerum universitate, nec cogitare, nec eloqui possumus. Metaphysica vero, utut *superius essendi communitate & indifferentia longe tamen inferius essendi nobilitate & eminentia, d) objectum habeat*. Et quamvis Deum quoque pro *objeto considerationis suo modo agnoscat*; ejus tamen minimam duntaxat, ut ita loqui liceat, partem, ob defectum principii cognoscendi adaequati, qui ex revelatione erit supplendus & perficiendus, attingere valet. Quis ergo refragabitur, vel hoc sane intuitu, ancillam posse dici Metaphysicam Theologiae & fa-

mulam? Altera autem vulgaris hu-
jus loquendi generis, a *civilis & mo-*
ratis servitutis genere, eaque com-
modior, potest deduci ratio: estque
dum vel par pari, vel superior quan-
doque inferiori; si etiam pluribus
fuerit opibus, vel majori potestate
munitus; nulla coactus necessitate,
nulloque pretio conductus, sed ex
spontaneo arbitrio & voluntate li-
berrima, lege saltem charitatis hu-
manitatisque, seu secundum justiti-
am, ut dici solet, universalem; mi-
nistrat, alteriusque promovet com-
moda. Ita Metaphysica omni terrini-
orum generalissimorum copia ab-
undans, ceteris omnibus (quidni et-
jam eo liberius Theologiae?) disci-
plinis, subministrare, operam suam
adducere, atque servire, hoc quoque
sensu, apta habetur. Verum hunc
pariter loquendi modum, extra il-
lum accuratiorem, quem philoso-
phia ipsi impressit, a personis & quo-
tidianis more ad disciplinarum habi-
tum geniumque, improprie, & per-

nostram analogiam, h. e. proportionis, transtulit usus. c)

d) *Calob. Metaph. Divin. p. m. 4.*

e) *Conf. Fecht. Noct. Christ. p. m. 32.*

§. XIII.

Ut autem hæc materia tanto evadat illustrior, notandum erit in primis, analogiam hanc nostram ad sacra Christianorum applicatam, non esse semper & ubique, in rebus sibi met subjectis, generis ejusdem & acceptationis: quippe quæ præter communem illud analogiæ genus, quod attributionis intrinsecæ plerumque esse solet, speciale aliquod certis quibusdam terminis adsignat, qui a rigore nativo ac doméstico manifeste prorsus discidunt. Horum autem exempla, quum in illustriorum theologorum scriptis, nec non ipsis etiam libris nostris symbolicis passim conspersa reperiantur, nec instituti, nec temporis ratio, utpote majorem molem exigentia sigillatum adducere & examinare patiuntur. Quædam

tamen exempli & illustrationis ergo, eaque usitatoria, nervum ipsius analogiae demonstrando, adscribere, opera erit pretium. Ut nullius fere termini Metaphysicæ alius, frequenter ac *causæ*, mentionem facit Theologia; ita non unam eandemque ubique obtinet acceptationem: nunc enim *physica*, præter alias ejus distinctiones, nunc *moralis*, & *hæc* potissimum, audit. *Illa* autem sola, quum dignitatem causæ stricte & univoco sic dictæ, sustineat; *hæc* philosophorum consensu æquivoce tantum & analogice talis erit dicenda. *Causa* enim tanquam vox analoga, inferioribus & speciebus suis pariter univoco atque equaliter non competit, sed physice per prius moraliter autem per posterius. Quicquid enim causa moralis agit, id agit per physicam causam, quam supponit, cuiusque beneficio atque auxilio utitur, ad finem sibi præfixum obtainendum. Et tamen ideo estimationem vere proprięs dicitæ causæ nequaquam amittit. f) Hoc

enim modo, inquit Velthem, nunc sumus moralem causam, ita ut causa physica dicatur, quæ vere efficit: moralis quæ tantum imputative. Quo sit ut physice aut Metaphysice hec considerando, divisio hec revocetur ad priorem de causa per se, & per accidens: nam causa vere efficiens physice solum dicitur de causa per se: causa autem, quæ moraliter tantum seu imputative causat, physice considerata, tantum est causa per accidens, cum per se & vere non influat. g) Hinc collata insuper descriptione causæ in genere, quod sit principium largiens alteri essentiam a sua essentia realiter distinctam; b) omnem causam moralem quibuscumque rebus applicatam non nisi per analogiam attributionis & quidem extrinsecæ intelligendam esse; ad o apertum est, ut, qui hoc non videt in ipsa certe meridie calliget.

f) Fecht. N. et. Christ. p. m. 157.

g) Instit. Metaph. p. m. 1055,

h) Epin. introd. in Phil. part. III. p. m.

Licet autem nostrum non sit ipsa mysteria attingere sacra; liceat id tamen ex occasione argumenti salvо suo principio ad ulterius illustrandam mentem nostram, sa' tem instar exempli adducere; ut & hoc ipso monstremus terminos philosophicos analogice a Theologis usurpari, nec in sensu philosophis strictissime usitato, in superiori disciplina adhiberi. Unicum vel alterum hujus etiam rei sufficiat exemplum. scilicet quando *Verbum Dei & Sacraenta*, in ordine ad effectus supernaturales; h. e. illuminationem, conversionem, regenerationem, &c. *Instrumentalis*, ut & *instrumentum*, conjunctum & activum, seu cooperativum (adeoque nil commercii cum Rathianno habet) *causa*, etiam in L. L. synbolis, i) vocitari solet: non nude *moralis*; quippe quae vis divina non operatur per *fusionem moralem vires liberi arbitrii supponentem*, & congruam *ingenio eorum*, quos efficaciter trahere

Deus

Deus decrevit, ceu loquitur Königius; k) sed *supernaturalis*, & simul *physica*, sive potius *physice analogæ*, movens animum vi internæ & humanae virtute superiore: l) intelligenda venit causa. Par erit fidei *objectivæ* tenenda ratio, dum respectu *justificationis* [imo a nonnullis quoque *eternæ prædestinationis*. m) instrumentum appellari consuevit. Quippe quæ, licet non sit tale *proprie* & *univoce*, per *analogiam* tamen est & *organicum* operandi modum: *notitia* enim *absensus* & *fiducia* rō *esse instrumentale* habent, si non *natura*, tamen ex *ordinatio*ne *divina*. n) Quum porro *causa* tam *formalis*, quam *materialis*, *mysteriis* omnibus, e. g. Sacramentis Testamenti utriusque, sphæram rationis longe excedentibus, applicantur divinis; impropriæ & analogice, secundum *analogiam attributionis* extrinsecæ, collatis earum definitionibus, accipierdas esse, omnibus patere existimamus. Qualis vero jam *cäfarum usus* in genere erit omnium, accurate differit Donatus: *causas*,

quæ

quas Theologi in rebus sacris tradendis,
 vel proprias sibi, vel communes cum
 philosophia habent, rigorem Metaphy-
 sicum haud sustinere; quin juxta cer-
 tam analogiam subinde intelligendas
 esse. o) Quod præterea terminos,
 v. g. *essentia*, *subsistentia*, *personæ*, *hypo-*
staceos, & similes in myst. riis trinita-
 tis & incarnationis proponendis,
 adhibitos, adtinet; sive cum D.
 Fechtio, p) pro vulgaribus & ex
 communi hominum vita desumptis,
 sive pro Biblicis, sive denique phi-
 losophicis habeantur; perinde no-
 bis fuerit, modo D. Christ. *Thoma-*
sius & *Arnoldus* cum suis affeclis, rem
 ipsam terminis hisce explicatam ab
 idololatrico suo & carnali profanæ
 impietatis conceptu liberare velint.
 Et si vel maxime tanquam termini
 artis respicerentur, non ad obscuran-
 da, sed illustranda sacratissima illa
 mysteria, conducere, nem o, nisi qui
~~metapysia~~ ~~diabolos~~ laborat, & commi-
 feratione potius, quam refutatione
 dignus est, inficias ibit. Est & adhuc
 ali-

aliud analogorum genus in Theologia frequens, nobis omnino non prætereundum: quando, e. g. Apol. Aug. Conf. essentiam Dei vocat *individuum*, q) quando non pauci Theologi Theologiæ genus (nec non notitiæ Dei connata) collocant *habitum*, alii *sapientiam*, *scientiam* alii; & cetera generis ejusdem: collata *aristotelica* eorum Aristotelica, quædam analogice, quædam nimis *naturam* accipienda esse; nec heri nec rudiis tertius, a seculo eruditio & curioso satis ad satietatem usque, est observatum: adeo ut qui illa repetere amplius vellet, actum agere, oleumque perdere, jure omnino erit censendus. Sed neq; tandem hoc quemquam forte latere potest; quod Theologi in primis recentiones, quantum in ipsis, quos antiquitas veneranda, ante mota certairina paulo securior in Theologiam introduxit terminos, & analogice tantum applicavit, ultero omittant, vel saltem illis prorsus abstinere se cupiant; alios in eo-

rum locum magis rem ipsam exprimentes, substituendo.

- i) Aug. Conf. Art. 5. & Form. Conc. Sol. decl. Art. 2. p. m. 671. k) Theol. Posit. part. III §. 509. l) Conf. Fecht. Syll. p. m. 379. m) Hollaz. Exam. Part. III. p. m. 40. n) Neum. Theol. Aph. p. m. 482. o) Metaph. Usual. p. m. 196. p) Conf. Lect. in Syll. p. m. 148. q) Conf. Scberz. Brev. Thcol. §. 32.

§: XV.

Hoc fuit, quod de nobili hac materia festinanter congeshi, vel congerere non potui, prout debui ac volui. Manum igitur, ut ajunt, de tabula tollere cogor. Coronidis tamen loco aliquid adjiciendum foret de vera sobriaque ~~impiorum~~ & usus & studii horum terminorum detersa omni rubigine ac vitio profano. Verum quum etiam heic ita caute & circumspicte erit loquendum,

ne

ne vel in excessu, vel in defectu peca-
cetur; præstat hujus rei judicium &
decisionem, qvorum intereat, judi-
cio & fidei committere. Hoc inte-
rim erit evictur; qvod ut suus cui-
libet, qvem sibi præfigit scopum,
finis mensuram in omni studiorum
genere suppeditabit, vel sublimio-
rem attingendi gradum, vel intra
mediocritatem subsistendi; ita &
hanc scientiam, scientiæ Theologi-
cæ adqvirendæ gradatim attempera-
bit. Quicquid vero abusus hujus d-
isciplinæ, querulas, Theologis de-
morum in ecclesia emendatione sol-
licite cogitantibus, voces expressit;
id, utpote extrinsecum, nulla ra-
tione scientiæ ipsi erit imputandum.
Hoc tandem maximum operæ erit
premium cuique veritatis cœlestis sim-
cere amanti, id operam omni stu-
dio, omni animi contentione da-
re, ne intellectus varijs questio-
num curiositatibus, & verborum
rīxis atqve jurgiis (ut cum *D. Fechtio*
loquat) veræ pietatis & virtutis ex-

ercitia turbantibus potius quam pro-
moventibus, impleatur ; quibusq;
irreparabile tempus magno cum ve-
ra eruditionis damno teratur : sed
ut ex laboribus nostris vel schola-
sticis aliquid semper et oculumenti in
Ecclesiam , in reimp. in vitam pri-
vatam redundet. Sic Theologia it
veneretur philosophia , philosophi-
am perficiat Theologia ; utriusque
veritatem conservet omnis boni lar-
gitor & Conservator , Clementissi-
mus, Potentissimus, qui æter-
na veritas est ,
DEUS !

εἰ μόνῳ δόξα.

